

que proferat formam, quia potest etiam retinere et negare absolutio- nem, si viderit mutari voluntatem; quo jure privatur, si in absentia poenitentis absolvat, quia hoc ipso profert absolutionem super indebitam materiam.

LXIX. Alii etiam sumunt necessi- tatem hujus præsentiae ex verbis formæ absolvo te; et illud verbum te dicit præsentiam physicam, sicut in consecratione panis ly hoc dicit panem præsentem, nec potest sacerdos absentem panem consecrare, sicut nec designare. Non tamen apparet tanta vis designativa rei præ- sentis in pronome te, sicut in ly hoc; nam tu et ego correlative se habent; potest autem pronomen ego dirigi ad absentes, sicut et pro- nomen te, ut patet quando aliquis absens absolvitur a censuris, et Pau- lus I ad Corinth. v dicit: *Ego qui- dem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi, etc.* at vero ly hoc, prout est designativum rei, solum ad præsentem dirigi po- test.

LXX. In calce hujus difficultatis adverte, quod quia aliqui dicunt Clementem VIII, vivæ vocis oracu- lo declarasse, etiam infirmum in absentia non posse absolutionem percipere, quando privatur sensi- bus, et sacerdos supervenit, jussis- seque deleri ex quodam libro, dici- mus hoc non esse verum; quin po- tius, cum id postularetur, ut in ex- purgatorio sanctæ inquisitionis de- leretur a prædicto libro, ostensum est decretum Romæ quo jussum est non deleri, sicque permissum, nec ille liber est notatus in expurgato- rio.

ARTICULUS V.

Quid sit res et sacramentum simul in poenitentia?

I. Supponimus vulgarem distinc- tionem in quolibet sacramento re- pertam, quod aliud est sacramen- tum tantum, aliud res tantum, aliud res et sacramentum simul. Sacramentum tantum est illud, quod solum habet rationem signi, et non significari, quod solum con- venit rei illi sensibili, quam in sa- cramentis videmus, ut ablutio ex- terna in baptismo, unctio in con- firmatione, species in eucharistia. Res tantum, est res significata, et nullo modo significans, sicut gra- tia in sacramentis, quæ non datur ad significandum, sed ad sanctifi- candum. Res et sacramentum si- mul est illud, quod est effectus sa- cramenti, qui de utroque partici- pat: est enim res significata res- pectu sacramenti exterioris, a quo ef- ficitur, et est significativa gratiæ modo invisibili et interiori, quia ad hoc ipsum datur, sicut character in baptismo, qui est signum Christi et gratiæ, significatur autem et ef- ficitur per baptismum.

II. Supponimus secundo, in om- nibus sacramentis ista tria inveniri, licet aliqui ex antiquis, ut refert Pa- ludanus in iv, dist. xiv, quæst. iv, artic. ii, negaverint reperiri in om- nibus sacramentis id quod est res et sacramentum simul, scilicet in matrimonio, poenitentia et extrema unctione; sed constans est theolo- gorum sententia, in omnibus sa- cramentis id reperiri: nec enim est ratio, cur aliquod ex sacramentis privemus tali effectu et perfectione, cum in aliis pluribus ponamus. Constat enim in confirmatione, ba- ptismo et ordine hunc effectum re-

periri, scilicet characterem, qui per ista sacramenta imprimitur. In eu- charistia ipsum corpus Christi ut sacramentatum et contentum in speciebus, est effectus ipsius sacra- menti, seu verborum formæ, et ul- terius est cibus efficiens et signifi- cans gratiam cibantem. In matri- monio, ipsum vinculum conjugale ut significativum conjunctionis Christi et Ecclesiæ, atque ipsius gratiæ matrimonialis: in extrema unctione est quædam interior devo- tio, seu lætitia, aut roboratio spei in Deum, ut tradit S. Thomas in iv, dist. xxiii, quæst. i, art. ii, quæs- tiuncula iii, ut infra magis explica- bimus; cur ergo similis effectus ne- gandus est poenitentiae? Et inquiri- tur quid illud sit, et in quo consis- tat.

III. Communis et vera sententia, est, quam explicat S. Thomas in hac quæstione lxxxiv, art. i ad tertium, et in quarto distinctione xxii, quæst. ii, art. i, quæstiuncula ii: « Quod interior poenitentia, seu con- tritio est res et sacramentum si- mul; » additque loco citato dist. xxii: « Quid est res et sacramentum simul, quatenus illa contritio ex ab- solutione sacerdotis ordinatur et disponit ad ipsam gratiam. » Omit- timus enim hic illam sententiam, quæ attribuitur Paludano et Capreo- lo, quod scilicet res et sacramentum simul est quidam ornatus spiritua- lis, qui disponit ad gratiam; quæ sententia communiter rejicitur, quia non explicat quid sit iste ornatus, et quomodo ad gratiam disponat. Esse enim ornatum est aliquid ge- nerale, et commune omni qualitati, et accidenti perficienti subjectum, unde etiam ipsi contritioni conve- nit esse ornatum spiritualem sub hac generali ratione; et sic dicendo quod est quidam ornatus, non ex- plicatur aliquid distinctum a con- tritione, sed commune illi: si au-

tem est aliquid distinctum, oportet explicari quid sit, cum non sit ha- bitus, vel actus virtutis; hoc enim convenit poenitentiae. Similiter dis- ponere ad gratiam sufficienter fit per auxilia divina, et per actus et habitus supernaturales. Quomodo ergo disponit ille ornatus, cum non sit actus, vel habitus virtutis (id enim etiam habet poenitentia) ne- que est auxilium divinum.

IV. Quare sententia hac omissa, circa sententiam S. Thomæ, quod interior poenitentia sit res et sacra- mentum simul, plures difficultates se offerunt, ex quarum solutione explicabitur, qua ratione contritio possit esse effectus sacramenti, et consequenter res et sacramentum simul. Et difficultates ad hoc punctum reducuntur, quia con- tritio, seu poenitentia interior ha- bet condiciones repugnantes, ut sit res et sacramentum simul; ergo. Antecedens probatur discurre- do per condiciones requisitas ad hoc, ut aliquid sit res et sa- cramentum simul, nam in primis debet esse effectus causatus ab eo, quod est sacramentum tantum; sicut character causatur a bap- tismo. Unde supponit, quod id quod est sacramentum tantum, sit in se constitutum et compositum, ut pos- sit causare talem effectum; at vero contritio non supponit constitutum sacramentum, a quo causetur, quia est pars constitutiva illius ut dictum est; ergo non est effectus ejus.

V. Secunda conditio est, quod res et sacramentum non sit causa, ne- que antecedit ipsum sacramentum; id enim sequitur, ex eo quod est ef- fectus illius: at contritio est causa confessionis sensibilis et externæ, quia confessio est expressio quædam doloris interni de peccatis: ergo si contritio antecedit confessionem, et causat illam, antecedit et causat ipsum sacramentum, quia confes-

sio est sacramentum pœnitentiæ : ergo non potest contritio esse res et sacramentum simul.

VI. Tertia conditio est, ut id quod est res et sacramentum non cause- tur a gratia, sed cause- tur et antecede- dat illam, eamque significet, quia gratia est id quod est res tantum, et sic est significata ab eo quod est res et sacramentum : sicut gratia baptismi significatur et subsequitur ad characterem : at vero contritio, quando est perfecta et formata charitate, causatur a gratia, si quidem formatur et perficitur ab illa : ergo gratia antecedit contritionem : ergo in tali casu contritio non poterit esse res et sacramentum pœnitentiæ.

VII. Quod si dicatur, contritionem perfectam non esse rem et sacramentum, sed solum attritionem, quæ non est formata per gratiam, neque est causata ab illa, sed antecedit illam, contra est, quia sic sequeretur, quod solum sacramentum pœnitentiæ constans ex attritione haberet rem et sacramentum simul, non autem quando constat ex contritione : et sic ex eo quod sacramentum est perfectius, utpote contritione constans, reddetur deficiens, id est, carens effectu, quo cætera sacramenta non carent, quod est absurdum.

VIII. Quarta conditio est, quod id quod est res et sacramentum simul, non solum cause- tur et inveniatur in sacramento formato, sed etiam in infirmi : sicut character causa- tur a baptismo et ordine, et vinculum a matrimonio, etiamsi ab impio recipiantur : at sacramentum informe pœnitentiæ caret attritione et contritione, quæ sit vera dispositio significativa gratiæ ; ergo tale sacramentum caret isto effectu, qui est res et sacramentum simul ; alias si veram attritionem haberet, causaret gratiam, et non esset informe.

IX. Nihilominus sententia S. Thomæ fundamento opposito probatur, quia contritio, seu pœnitentia interior habet omnes conditiones requisitas, ut sit res et sacramentum simul : ergo. Antecedens probatur, nam in primis est aliquid interius, non sensibile in se, ut de se manifestum est. Similiter est aliquid significativum gratiæ, quia ordinatur ad remissionem peccatorum, quæ utique fit per gratiam, ut enim diximus ex Tridentino requiritur ex institutione Christi ad plenam et perfectam remissionem peccatorum : ergo maxime ordinatur ad illam, ut est apta ad significandum et causandum illam.

X. Denique est aliquid causatum a sacramento, quia licet attritio ex natura sua disponat ad gratiam ; vel etiam cause- tur ab ea, si sit contritio perfecta, tamen quod cause- tur gratiam ex opere operato, et quod cause- tur gratiam sacramentalem, ut sacramentalis est, non habet ex natura sua antecederet ad sacramentum, sed ex ipso sacramento id participat, quatenus est instrumentum passionis Christi, quæ est opus operatum, in cuius virtute cause- tur gratia sacramentorum : ergo quod contritio tali modo cause- tur gratiam sacramentalem, non habet ex sua natura, et independenter a sacramento, sed ex aliqua derivatione ab ipso : et sic attritio, ut derivata et perfecta a sacramento, ut possit tali modo causare gratiam, est effectus sacramenti : nec subsequitur gratiam illam, sed antecedit : quod melius ex responsione ad argumenta constabit.

XI. Ad fundamentum ergo oppositum respondetur nego antecedens. Et ad primam instantiam dicendum, quod illa prima conditio intelligenda est in sensu formali, scilicet, quod res et sacramentum debet esse effectus sacramenti sub aliqua

formalitate, non sub omni : sicut in matrimonio vinculum inter virum et uxorem non est res et sacramentum, prout præcise oritur ex contractu naturali, sed quatenus elevatur ex sacramento ad significandum conjunctionem Christi et Ecclesiæ ; et corpus Christi non absolute in se, sed quatenus sacramentatum et conjunctum verbis et speciebus, est res et sacramentum eucharistiæ, et effectus ipsorum verborum et sacramenti : sic ergo si dolor internus consideretur ut præcise est actus virtutis, et ex institutione Christi ordinat et subjicit pœnitentem clavis Ecclesiæ, et sic efficit confessionem, hoc modo est causa illius, et pars informans ipsam confessionem et sacramentum constituens : si vero consideretur non solum prout efficit confessionem, sed prout conjungitur et subordinatur absolutioni, sic accipit vim specialem ad causandum ex opere operato gratiam sacramentalem pœnitentiæ, ut talis est, et hoc modo est effectus sacramenti seu absolutionis, potestque esse res et sacramentum simul, licet in alia consideratione ipse dolor sit pars sacramenti, et causa confessionis, non absolutionis. Quid sit autem illa vis, et ordinatio ad causandum gratiam ex opere operato, statim dicemus.

XII. Ad secundam instantiam, respondetur ex dictis, quod dolor pœnitentiæ non est res et sacramentum prout cause- tur confessionem, sed prout elevatur ab absolutione ad significandum et causandum ex opere operato gratiam sacramentalem pœnitentiæ, nisi indispositio aliqua obstet. Et talis elevatio posterior est, et consecuta ex absolutione, et prout sic est effectus sacramenti, non autem antecedens ipsum. Instabis : Hac ratione non recte dicitur ipsa attritio res et sacramentum simul, seu effectus il-

lius, sed illa elevatio proveniens ab absolutione, quæ vel est aliquid morale, et solum pertinens ad extrinsecam denominationem, et tunc non potest esse res et sacramentum simul, quia hoc realis effectus debet esse : vel est aliquid physicum, sive qualitas sit, sive modus superadditus attritioni ; et non ipsa attritio, sed modus ille superadditus erit res et sacramentum, et tunc restat difficultas, quando ipsum sacramentum est informe, et non cause- tur gratiam. Neque etiam elevabit attritionem ad causandum ex opere operato illam : ergo tunc non dabitur modus superadditus, neque sacramentum habebit illum effectum, qui est res et sacramentum simul.

XIII. Confirmatur, quia hoc modo etiam satisfactio et confessio ; et in baptismo ipsa ablutio poterunt dici res et sacramentum ; nam etiam satisfactio elevatur ad causandum gratiam, et confessio ipsa et ablutio in baptismo elevantur a forma ad causandum gratiam ; ergo dici poterunt res et sacramentum, non absolute in se, sed prout sic elevata, quia sub hac formalitate sunt effectus sacramenti, et subsequuntur ipsum : ergo nihil prohibet quin sub hac formalitate dicantur res et sacramentum.

XIV. Respondetur illum modum elevationis, sive sit physicus sive moralis, non posse habere rationem signi sacramentalis interni per se solum, sicut neque impositio ipsa dicitur signum, sed vox ex impositione ; neque in signis naturalibus ipsa relatio est signum, sed est ratio significandi, sicut dicitur signum fumus, aut character ; sicque elevatio illa superaddita attritioni se habet quasi determinatio quædam ipsius ad significandum ex opere operato gratiam, et sic non est ipsum signum internum, sed ratio seu determinatio, qua ipsa attritio

redditur signum, non solum gratiæ communiter dictæ, sed gratiæ sacramentalis ex opere operato, quod non habet ex natura sua. Id autem quod se habet ut res et sacramentum, non sufficit quod sit ipsa impositio, vel determinatio aut relatio significandi, sed necesse est quod sit ipsum signum internum, sicut patet in caractere, in corpore Christi sacramentato, etc. Quando autem sacramentum de facto non causat gratiam, tamen adhuc ille interior dolor manet ex vi absolutionis ordinatus ad habendum gratiam sacramentalem, et cum jure ad illam recedente fictione, et hoc sufficit ut sit causativa, effectiva et significativa gratiæ, quantum est de se, ut magis declarabitur solutione ad quartum. Ad confirmationem respondetur, confessionem, satisfactionem et absolutionem non recipere illam elevationem a toto sacramento, quia solum se habent tamquam partes sacramenti, cum præcise teneant se ex parte materiæ. Id autem quod se habet ut res et sacramentum, non debet solum elevari ut pars sacramenti, sed ut effectus subsecutus ad totum sacramentum; et sic etiam probat argumentum, quod dolor ille in quantum pars præcise non est res et sacramentum.

XV. Ad tertiam instantiam respondetur, quod quando contritio est formata per gratiam ante susceptionem sacramenti, causatur et formatur ab ipsa gratia, non prout sacramentalis est, et collata ex opere operato, sed a gratia communiter sumpta, id est, secundum quod causat communes effectus independentes a sacramentis, qui etiam dabantur ante instituta sacramenta, sicut est facere sanctum, dare jus ad gloriam, remittere peccata, etc. sunt tamen alii effectus speciales gratiæ, qui vocantur sacramenta-

les; et diversi effectus dantur per diversa sacramenta, sicut per baptismum datur gratia regenerativa, per eucharistiam cibativa, per poenitentiam sanativa; et sic per alia sacramenta; quæ gratiæ sacramentales entitative non distinguuntur a gratia sanctificante communi omnibus sacramentis, sed secundum diversos respectus, quibus homo in vita christiana configuratur et assimilatur Christo, et secundum alias participationes gratiæ, et auxilia quæ recipiuntur per sacramenta, ut explicari solet supra quæstione LXII, agendo de sacramentis in communi.

XVI. Insuper, etiam habet contritio conjuncta sacramento operari, et causare gratiam ex opere operato, præter illam quam causat ex opere operantis, prout procedit ex charitate: sic ergo dicimus, quod contritio procedens a gratia non procedit ab illa gratia, quæ est res sacramenti, quin potius habet illam in voto, et tamquam rem futuram eam respicit, sed procedit a gratia communiter dicta, et respectu illius, a qua procedit, non est res et sacramentum, sed respectu gratiæ quæ datur ex opere operato, quæ est aliquid ultra gratiam illam, quæ datur ex opere operantis, id est, aliquid diversus gradus; et similiter respectu gratiæ, prout sacramentalis est: hanc enim etiam causat et significat ipsa contritio ex conjunctione ad sacramentum, non ex natura sua, neque prout datur ex opere operantis præcise.

XVII. Ad ultimam instantiam respondetur, etiam in sacramento infirmi dolorem interiorem esse rem et sacramentum simul, quia licet de facto non causet ex opere operato gratiam, propter indispositionem subjecti, tamen ex se participat ex forma absolutionis vim, seu jus ad illam gratiam ex opere operato dan-

dam, et quæ dabitur recedente fictione; nec enim id quod est res et sacramentum semper actualiter causat gratiam; sufficit quod sit causativum illius, et ad illam præbeat jus; sicut quando imprimitur character in baptismo infirmi, aut vinculum in matrimonio.

XVIII. Cæterum, quia dolor ille internus non est aliquid permanens, sed actus transiens, merito dubitari potest, quomodo transeunte dolore remaneat res et sacramentum poenitentiae, et quomodo dicatur virtualiter manere, ut recedente fictione sortiatur effectum. Sed respondetur, quod non oportet, quod id quod est res et sacramentum eodem modo sit res permanens in omnibus sacramentis, sed in aliquibus permanet indelebiter, ut character, in aliquibus certo tempore, ut vinculum durante matrimonio, et donec alter conjugum moriatur; corpus Christi in eucharistia, quamdiu durant species sacramentales: in aliis saltem permanet, dum ipsum sacramentum fit, aut etiam paulo post, ut in sacramento extremæ unctionis et poenitentiae. Nam in extrema unctione res et sacramentum est quædam interior devotio, seu roboratio spei, quæ est spiritualis unctio, ut docet S. Thomas in IV, distinct. XXIII, quæst. I, art. II, quæstiuncula III ad tertium, quæ devotio solum potest se habere per modum transeuntis, cum sit actus, vel excitatio ad illam; et in infirmis qui sunt sine sensu, non potest extrema unctio habere istum effectum per actum intrinsecum in ipso infirmo, sed solum per aliquam gratiam extrinsecam, quæ æquivaleret devotioni, in quantum reprimit insultus demonum per protectionem extrinsecam Dei. Imo in aliquibus, ipsam non operari et infirmos carere sensibus, tunc magis conducit ad eorum salutem, quia fortasse valde turba-

rentur si tunc libere operarentur: et sic illa devotio quasi negativa vel extrinseca, erit tunc effectus extremæ unctionis.

XIX. In sacramento autem poenitentiae ipse dolor interior ut subordinatus absolutioni, et ab ea participans vim ad significandum et causandum gratiam ex opere operato, est res et sacramentum simul: cessante vero isto dolore, et non existente actu, sufficit illa determinatio, quæ manet in homine ex præcedenti dolore, et subordinatione ejus ad absolutionem: hæc enim determinatio, seu respectus ad dolorem præcedentem, sufficit ut dicatur ille dolor virtualiter manere.

XX. Et aliqui dicunt, illam determinationem esse aliquid physicum, scilicet, aliquem modum manentem in anima ex dolore præterito; alii dicunt, esse aliquid morale, scilicet, respectum ad sacramentum susceptum et dolorem habitum, qui est respectus rationis, cum sit ad terminum non existentem (scilicet ad dolorem, et absolutionem præteritam) ideoque dicitur aliquid morale, sicut videtur sufficere in aliis sacramentis: ut vinculum in matrimonio non est aliquid effectus physicus, remanens post contractum matrimonium, sed quoddam jus, seu potestas ad utendum corpore conjugis, quæ est aliquid morale. Sed certius est, quod sacramenta semel præterita causant gratiam recedente fictione tamquam instrumenta physica, ut in tractatu de sacramentis in genere dicitur, quæst. LXII, art. I, dubio VI ad tertium.

XXI. Tandem inquires, quomodo solvemus id quod dicit S. Thomas, quod poenitentia interior est res et sacramentum, cum in sacramento infirmi non detur talis interior poenitentia, seu dispositio ad gratiam, et tamen in illa ponimus rem et sacramentum.

XXII. Respondetur, quod S. Thomas nomine pœnitentiæ interioris non intelligit solum dolorem illum prout antecedit confessionem, et est actus virtutis disponens ad gratiam; sed loquitur de illo dolore ut subsequitur sacramentum, et causatur ab illo. Dicit enim S. Thomas in hac quæstione, art. i ad tertium: « Quod totum illud simul (id est, confessio et absolutio) est causa secundi, id est, pœnitentiæ interioris, quæ est res et sacramentum simul. » Est autem causata illa pœnitentia, seu dolor ab absoluteione, non ut præcise disponit ad gratiam, ex ipsa natura virtutis; sic enim nihil recipit a sacramento, sed antecedit ipsum, et causat confessionem; causatur autem ab absoluteione et sacramento, quatenus accipit vim et elevationem ad operandum gratiam sacramentalem, et causandum ex opere operato; quod maxime convenit illi dolori in quantum ordinat hominem ad claves Ecclesiæ, et detestatur peccatum cum subiectione ad illas; quæ subiectio et ordinatio etiam in sacramento informi manet, et sic accipit elevationem ad causandum gratiam ex opere operato, de facto quidem et in actu secundo, si nulla obstat indispositio: si autem sit aliquod impedimentum, tantum in actu primo.

XXIII. Quod totum expressit S. Thomas in iv, dist. XXI, quæst. i, art. i, quæstiuncula ii ad primum ubi inquit: « Quod pœnitentia interior potest considerari dupliciter; uno modo prout est quidam actus virtutis: et sic interior pœnitentia est causa exterioris, si ut in aliis virtutibus actus interiores sunt causa cæterorum: alio modo prout est actus operans ad sanationem peccati (scilicet modo sacramentali) et non solum dispositive; et sic pertinet ad pœnitentiæ sacramentum: et ita interior pœnitentia non est causa

exterioris, sed effectus vel signatum ipsius. Non enim habet efficaciam operandi contra morbum peccati, nisi ex suppositione propositi exterioris pœnitentiæ, et desiderio absoluteionis. » Ecce quomodo ipsa pœnitentia, seu dolor interior, non ut præcise est actus virtutis, sed ut operans ad sanationem peccati (utique ex opere operato) est effectus sacramenti; atque adeo est res et sacramentum (de hoc enim in illa quæstiuncula loquitur S. Thomas) et hanc efficaciam sic operandi ex opere operato contra morbum peccati (quæ est gratia sacramentalis sanativa) ex Christo habet ex desiderio absoluteionis, quod pertinet ad illum dolorem, prout ordinatur et subiectione clavibus Ecclesiæ.

ARTICULUS VI.

Utrum detur sacramentum pœnitentiæ informe?

I. Quid intelligamus nomine sacramenti informis articulo quarto declaratum est, videlicet non quod caret forma sacramentali absoluteionis (hoc enim non est sacramentum) sed quod caret forma sanctificantis subjectum, id est, ipsa gratia, quæ est effectus sacramenti: et sic inquirimus, an possit dari sacramentum pœnitentiæ, quod in re verum sacramentum sit constans sua materia et forma, careat tamen effectu gratiæ justificantis.

II. Et sumitur fere tota ratio dubitandi ex eo quod in hoc sacramento eadem attritio est materia, seu pars sacramenti, et dispositio, nec potest unum ab alio separari: ergo nunquam stat hoc sacramentum esse validum, quin sit formatum. Patet consequentia, quia non potest esse validum sacramentum, quin constet

materia et forma: ergo si materia, qua constat sacramentum, est dispositio ipsa ad gratiam, repugnat quod sacramentum habeat materiam, et non habeat dispositionem ad gratiam, vel si istam non habet, neque materiam habet, et consequenter non subsistit sacramentum. Antecedens vero probatur;

III. Tum, quia Concilium Tridentinum sess. xiv, cap. iii et iv, non distinguit inter attritionem, quæ est dispositio, et quæ est pars sacramenti: ergo neque nos distinguere debemus, docet enim Concilium: « Quod ea ratione actus pœnitentis sunt partes sacramenti, quatenus ad integritatem sacramenti, et ad plenam et perfectam remissionem peccatorum ex institutione Christi requiruntur. » Non requiruntur autem ad plenam remissionem peccatorum, nisi quatenus sunt dispositio perfecta ad ipsam: ergo ea ratione sunt materia, qua sunt dispositio.

IV. Tum etiam, quia ut attritio sit materia sacramenti, debet esse talis, quod super illam possit verificari forma: absolutio autem a peccatis non potest verificari super attritionem, quæ non est dispositio, quia remota dispositione, non potest de tali subjecto verificari quod absolvitur a peccatis, licet verificetur quod sacramentum absoluteionis illi impenditur, vel quod absolvitur ab obligatione iterum confitendi (hoc enim non est absolvi a peccatis, quia hoc non est remitti peccata) idem autem est absolvi, quod remitti.

V. Tum denique, quia ut attritio sit materia sacramenti debet esse supernaturalis, et detestativa peccati cum ordine ad claves Ecclesiæ, ut articulo iv diximus, sed non amplius requiritur ut attritio sit vera dispositio ad gratiam, quam quod sit detestatio peccatorum ex motivo supernaturali (verbi gratia, ex metu inferni) cum subiectione ad claves

Ecclesiæ, ut sumitur ex Concilio, capite iv citato: ergo idem dolor est dispositio ad gratiam et materia sacramenti.

VI. Propter has rationes aliqui ex antiquis tenuerunt non posse dari sacramentum pœnitentiæ validum et informe, pro qua sententia aliquos canonistas refert Silvester verbo confessio i, §. xxvi, idque sequuntur Major in iv, dist. xvii, quæst. iii, art. ix; Gabriel ibidem quæst. ii; Adrianus quæst. v de confessione, dubio v, et aliqui recentiores probabilem reputant, videturque etiam succurri posse ex S. Thoma in iv, distinct. xxiii, quæst. i, art. ii, quæst. ii in corpore, ubi ponit pro effectu pœnitentiæ: « Remissionem peccati existente contritione, quæ est de essentia sacramenti pœnitentiæ: » ergo sentit sine contritione non salvari essentiam sacramenti; posita autem contritione certum est poni remissionem peccati, quem locum affert pro ista sententia Suarez hic disput. xx, sect. v, num. ii.

VII. Alii oppositam sententiam tenent, et est sine dubio S. Thomæ, qui de hoc facit expressum articulum, et resolvit posse dari confessionem informem, in iv, distinct. xvii, quæst. iii, art. iv, quæst. i. Qui locus correspondet in additionibus ad tertiam partem, quæstione ix, articulo primo. Sequuntur S. Thomam ejus discipuli, et communiter omnes doctores, Paludanus et Richardus eadem distinctione xvii, quæst. viii; Capreolus ibi quæst. ii; Soto in iv, dist. xviii, quæst. iii, art. ii et iii; Cajetanus tomo primo opusculorum, tractatu v, quæst. v; Cano relectione de pœnitentia, quæst. v; Ledesma, Silvester, Navarrus, Covarruvias, quos citat et sequitur Suarez loco citato, et Nugno tom. ii de sacramentis, quæstione ix de confessione, art. i, dubio i, ubi sentit oppositam sententiam esse im-